



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 297 - 299. De mancipiis traditis in villis Rainaldinghusen, Gellithi et Bech
in pagis Flotwitha, Sultgo et Sudergo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

§. 297.

Tradidit richardus pro proximo suo ekkiardo duo mancipia.

gubernante
Corbeiam
Bouone.

§. 298.

Tradidit theodoricus duas familias in *rainaldinghusen* (w) et in *gellitibi* (x) pro se et pro coniuge sua tritheruna.

§. 299.

Tradidit uolcmarus pro fratre suo uoluered unam familiam in *bech* (y)

§. 300.

- (w) *Rainaldinghusen* erat, Registro nostro testante, villa sita in pago *Flotwitha*, quem olim in Principatu Lunenburgico in praefecturis Nienburg, Meinerfen ac Burgtorff et circa monasterium Wienhusen existisse, iam supra §. 193. vidimus. Ergo, *Rainaldinghusen* esse vel villam desolatam, vel Roddensen haud procul ab oppido Burgtorff, vel Rottensen non procul a vico Sivershusen fuisse, putamus.
- (x) *Gellitibi* fuit sita in pago *Salgo*, quem in episcopatu Hildesienfi in praefecturis Sladem et Liebenburg, ac in praefectura Lichtenberg in ducatu Brunsvicensi, fuisse, supra §. 201. diximus. *Gellitibi* itaque non erit Gittel in praefectura Stauffenburg, neque Geitel haud procul a monasterio Steterburg in Wolfferbuttelenfi Principatu. Illa enim appellatur *Gellitibi* et in pago Hlisgo ponitur. Atque haec, si iam tempore caesarum Carolingiorum fuisset, in pago existisset Falhen seu Liergewe. Sed vicus subest *Gielde* in praefectura Sladem. Quis igitur negare poterit, *Theodoricum* nostrum inter progenitores Sladensium comitum numerandum esse, cum nullo modo probabile videatur, dominum ex alia familia potuisse bona hereditaria possidere in vico *Gielde*, qui haud procul a castro Sladem exstat, quam dominum, ad progenitores comitum Sladensium spectantem. quem vero, quia et in pago *Flotwitha* bona hereditaria habuit, simul origine Billinganae stirpis fuisse oportet, cum negari nequeat, familiam Billinganam in Lunenburgico ducatu dominatam esse. Nemo ergo non videt, optimo iuri fundamento sententiam nostram de origine Billingana Sladensium comitum, quorum bona, cum hereditaria fuerint, quae et ad feminas iure deuoluuntur, feminae stirpis Billinganae adire eorum bonorum possessiones valuerunt, extinctis comitibus Sladensibus, cum Billingani eadem bona per feminas sint assecuti.
- (y) Villa *Bech* a Sarachone abbate ponitur in pago *Sudergo*, quem in episcopatu Monasteriensi circa urbem Monasterium fuisse, iam supra asseruimus. Probabiliter ergo intelligitur *Bechem* in eodem episcopatu Monasteriensi inter Herfeld et Alen. Cum vero locus *Herfeld*, olim dictus Hirutfeld, ad Luppiae fluminis ripam in pago fuerit Dreini, *Alis Ida ducisse* testantibus f. 173. nemo non videt, terminum pagorum *Dreini* et *Sudergo* constituendum esse inter villam *Bech* atque *Hirutfeld*. Probe itaque villa nostra *Bech* discerni debet primo a villa desolata *Becke* in pago Guddingi, deinde a vico *Beckum* in episcopatu Hildesheimensi sub praefectura Peina, et denique a *Becke* villa, quam caesaris Ottonis M. auus, Otto scilicet, dux Saxoniae, monasterio Assindiensi seu Essen tradiderat, quamque eius genitor Henricus rex firmitatis causa iterum eidem tribuerat, vti sequentes restantur litterae, quas e membrana descriptas et ab amico nobiscum communicatas adiungimus. En illas.

De villa
Rainaldinghusen in pago
Flotwitha.

De villa
Gellitibi in pago
Salgo.


De villa
Bech in
pago
Sudergo.

Q In nomine sanctae et indiuiduae trinitatis Otto diuina fauente clementia imperator augustus nouerit omnium fidelium suorum industria qualiter uen. abbatissa *matildis assindiensis* monasterii a bone memorie alfrido presule in honore sancti saluatoris sanctaeque dei genetricis et uenerandorum

Ab anno
879 usque
890 im-
perante
Karolo
Crasso et
guber-
nante
Corbe-
iam
Bouone.

dorum cofinae et damiani martyrum nec non et omnium sc̄ōrum con-
structi nos adiit postulans ut immunitate regia idem coenobium uti a
predecessoribus nōris fuerat donatum et nos in presentiarum munire-
mus cuius uoto ob religiosi archipontificis *geronis* et nepotis nōri et
equiuoci *ottonis* obtemperantes ceterorumq; ep̄ōrum ac comitum peti-
tionem electionis arbitrium cum hoc necessitas exegerit primo conce-
dimus. insuper et regum aliorumq; dei fidelium traditiones illuc colla-
tas quarum auctoritatis scripta desagrato prefato monasterio ignis ex-
usserat perpetua firmitate roboramus uidelicet decimam omnem quae
habetur inter duo flumina *emmara* et *rura* a riuulo *betunia* et a molen-
dino ilonis usq; ad locum *liweta* et *lippera* quam ei uen. archiep̄us co-
loniensis ec̄cliae *guntharius* domni apostolici *nicolai* et ep̄ōrum totiusq;
cleri consensu contulerat excepta particula in loco *ruoldinghus* quam
eggelhard et eius coniux *rekeld* iure hereditario possederunt duas etiam
uillas *tabenberg* et *castella* a *blothario* rege et a *bludouuico* curtem *bukker-
ci* nuncupatam et quidquid habuit in comitatu *ekberti* et *calibonis* tres
insuper alias curtes *halssa* *archem* et *horte* uictui sc̄imonialium et a *ka-
rolo* curtem unam *uuodenesberg* nominatam a regibus datam et curtem a
proauo nōro *ottone* duce dictam *bekke* illi traditam et ab uo nōro *heinrico*
rege atq; a domno genitore nōro *ottone* imperatore augusto firmitudinis
causa eidem iterato tributam. precipimus quoq; ut nullus iudex publi-
cus uel quislibet ex iudiciaria potestate in loca predicti monasterii quae
uel nunc possidet uel quae deinceps in ius ipsius sc̄i loci uoluerit diui-
na pietas augeri ad causas audiendas uel freda aut tributa aut conlectas
aliquas exigendas aut mansiones uel paratas faciendas aut fideiussores
tollendos aut homines istius ec̄cliae restringendos nec ullas illicitas oc-
casiones requirendas nōris et futuris temporibus ingredi audeat neq;
telonium neq; parafredas uel ea quae supra memorata sunt penitus ex-
igere presumat nemoq; ad mallum conuocandi homines eiusdem ec̄cliae
seruos litos uel liberos habeat potestatem nisi aduocatus quem abbatissa
eiusdem loci ad hoc opus delegerit hoc regalitatis nōrae precepto manu
firmato et anuli nōri impressione insignito.

Signum




domni ottonis inuictissimi
impris augusti.

uilligifus cancellarius ad uicem rotberti archicapellani recognoui et *ssss*.

data X kal augusti anno incarnationis domni DCCCCLXXIII. in-
dict. I anno regni domni ottonis XIII. imperii autem VII actum aquis-
grani in dī nomine feliciter amen.

Quamuis autem in hoc diplomate villa *Bekke* nullo tribuatur pago, coniecta-
mus tamen, eam esse vicum *Bokem*, in episcopatu Monasteriensi inter Herbe-
ren et Cappenberg situm. Atque haec villa probabiliter pars bonorum heredi-
tariorum fuit, quae *Ecbertus*, dux occidentalium Saxonum, eadem in regione
possedit, uti *Acta Idae ducissae* p. 173. testantur, a quo haec villa in manus eius ne-
potis peruenit.



TRA-